



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Philippi Ducis Sueviae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

deserat, sed gerat se, quod non decet, domino fortiozem. Et ad hoc tibi taliter respondemus, quod arma nostra, quæ non materialia sunt ab homine, sed spiritualia sunt ex Deo, nec hæcenus deposuimus nec amodo deponeamus, illo nos misericorditer protegente qui si fuerit nobis adiutor, non timebimus quid faciat nobis homo. Non enim fortitudinem nostram ponimus in ensibus Regis Ottonis, sed in clavibus Simonis Petri, cui veritas ait, quæ mentiri non novit: *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam: & tibi dabo claves regni celorum &c.* Illius enim, licet indigni, vicem gerimus & locum tenemus qui circa passionem audivit à Domino: *Sathanas expetivit vos ut cribretis sicut triticum; sed ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Videas ergo, frater, ne tu sis expetitus à sathana, ut sicut triticum ab illo cribteris; quia fides nostra non deficit, sed ad bonum & in bono te potius confirmamus; quamvis non tanta sit pugna de qua mentionem fecisti ut pliusquam nimis oporteat te timere; quoniam etsi præfatum Ducem personaliter non sequaris ad pugnam, in omnibus tamen aliis diceris efficaciter illi favere, nec ipse tantum desiderat corporale sibi juramentum præstari quantum acceptat fidei sibi obsequium exhiberi. Tertium verò capitulum fuit, quod repetitis sæpe preces recipimus ut dignaremur tibi obligationis vinculum relaxare quo nobis es in facto imperij obligatus. Sed & nos ad hoc tibi respondemus hoc modo, quod preces hujusmodi repetitæ non sunt ex illis de quibus veritas ait: *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Vtinam non sint ex illis de quibus Dominus ait: *Nescitis quid petatis.* Quod sequens capitulum innuit, quo dixisti quod expediret tibi eò tendere quò jam omnium vota Principum transierunt; & si plarium, non tamen omnium, & si voces, non tamen vota. Quòd si vota etiam plurimorum non sequeris, ait Dominus, turbam ad malum, putasne quòd foveat pars illa iustitiam, & custodiat honestatem? An oblitus es rationum quas à nobis audisti? Quidam autem, ut nosti, quia declinaverunt, jam inutiles facti sunt, & digna pro meritis stipendia receperunt. Aliorum, etsi dilatum, non tamen est sublatum iudicium; quia nisi cessaverit causa, non cessabit effectus. In quarto capitulo admiraris cur hoc tibi negetur quod Legato nostro & legationis tempore licuit Patriarchæ. Nos autem ex hoc capitulo admiramur amplius; tum quia super tali legatione te non decuit alicui æmulari, nec nobis tacite insultare quòd talem præelegimus in hac legatione personam. Novit enim ille qui nihil ignorat quòd nos proposueramus te illi collegam adjungere. Sed quia legatio non videbatur memorato Principi favorabilis, nisi quatenus propter aliquos roborandos & alios infirmandos simulatoriè gloriatur quòd nos legationem mittimus ad ipsum, ut ab eo quæ pacis sunt requiramus, non detrahendo tibi, sed providendo, hujusmodi propositum mutavimus ad cautelam. Et si prædictus

Patriarcha, quem tu Legatum nostrum appellas, contra primum & principale propositum nostrum aliquid egit, id ex nostra sibi concessione non licuit, sed illud ex sua temeritate forsitan attentavit. Ex quinto verò capitulo, quo dixisti quòd hæc exempla & multa similia quæ in tua quotidie leguntur præsentia suadere tibi non possunt nec poterunt ut manus tuæ ad id se velint extendere quòd nostra eis indulgentia non concessit, gratiarum tibi referimus actiones, commendantes in te prudentiam, devotionem, & fidem quòd nullorum tibi exemplis persuaderi potest aut poterit quòd manus tuas velis extendere ad id quòd tibi non sit ex indulgentia nostra concessum. Præfers enim, ut debes, spiritualia temporalibus, & subicis humana divinis, optimam partem eligens, quæ non auferetur à te. Oportet tamen nos aliquid per antiphoram respondere propter id quòd de multis exemplis tangere voluisti, tamquam illud quòd de Pabemburgensi Episcopo fecimus velis deducere in exemplum. Sed in veritate cognoscas quòd non remisimus illi pœnam nisi postquam satisfecit de culpa. Nam plus obligavit se postmodum quam negavit primum. Sed mandatum facere sibi distulimus, cum in proximo debeat nostro se conspectui præsentare palleum & privilegium recepturus. Ex prædictis itaque plenè potes & planè nostram cognoscere voluntatem & intelligere quid agere debeas, quid vitare. Ponas igitur ante oculos mentis tuæ quòd prædecessores tui Salzeburgenses Archiepiscopi prædicantur fuisse viri religiosi, honesti, providi, fideles, veraces, & fortes; ut eorum vestigia imiteris in merito quibus in officio successisti. Si verò pro pace imperij aliqui fuerint ad nostram præsentiam destinandi, gratum nobis existeret si tu cum eis fueris destinatus. Datum &c.

LITTERÆ PHILIPPI
Ducis Sueviæ.

Reverendo in Christo Patri Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, salutem & cum omni reverentia filialis dilectionis affectum. Dilectum ac familiarem nostrum Vvalterum venerabilem Aquilegensis Patriarcham & præcipuum imperij Principem, unâ quoque cum ipso alios fideles ac familiares nostros G. Bargeravium Magdeburgensem, Henricum de Smalmecht, & Evihardum de Lurra præsentium latrores, à latere nostro ad vestram destinavimus sanctitatem; quibus dedimus plenitudinem potestatis & auctoritatem omnimodam inter Ecclesiam & imperium & inter vos & nos pacem & concordiam reformare, & periculosam regni & sacerdotij scissuram feliciter restaurare. Prædictos itaque nuntios, quos ad tam excellens factum idoneos reparavimus, ad vos accedentes à vestra hilariter postulamus recipi paternitate, regantes attentius & committentes quatenus omnibus his quæ ex parte nostra prudentiæ vestræ intinaverint fidem & certitudinem dignemini adhibere. Ipsi enim à nostra sublimitate tali modo & eo sine recessere quòd sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ semper in nobis tamquam mater in filio sinceram dilectionem & debitam invenit devotionem, dum tamen nos ejus & vestrum aliquando sentiamus affectum. Quocumque etiam præfati nuntij nostri pro nobis polliciti fuerint, ut Romanæ Ecclesiæ benevolentiam habeamus & favorem, nos parati sumus gratanter eadem affectu prosequente complere & ipsorum ordinationem per omnia gratam habere & inconculsam.

Vide infra
epist. 183. &
lib. 12. epist.
118. & seqq.

Epist. 1401